



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

V. Quales presbyteros debeant sibi assumere plebani in adiutorium
exercitii curae animarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1420. nibus cum falconibus , nisis , aut huiusmodi volucribus clerici omnino non insistant , nec canes tales venaticos aut aues in domibus teneant, aut secum per viam ducant. Ad aleas etiam & taxillos non ludant , nec huiusmodi ludis intersint, nec ludos tales in domibus suis exercere permittant.

V.

Quales presbyteros debeant sibi assumere plebani in adiutorium exercitii curæ animarum.

Omnibus insuper Saltzburgensis dioecesis plebanis prohibemus , ne in adiutorium exercitii curæ animarum , aut ad capellanatum assumant presbyteros lusores , potatores , ebriosos , aut laicorum conuiua frequentantes , per quos multum plebs scandalizatur fidelis. Nullum etiam sacerdotem alienigenam & penitus incognitum , suæ ordinationis literas , seu formatas omni suspicione carentes non habentem ; * & vero literas commendatitias proprii episcopi , aut fide digno testimonio , seu longi temporis conuersatione de vita & moribus ipsius fuerit informatus ; assumere præsumant.

V.I.

Quod plebani inducere debent sibi subditos presbyteros ad obseruantiam statutorum prouincialium & synodalium ordinatum , & ad deferendum habitus honestos & clericales , a laicorum habitu discrepantes.

Studeant quoque plebani suorum domesticorum , præfertim clericorum sibi subiectorum , diligentem curam gerere , ipsos ad obseruantiam constitutionum prouincialium , & huius sanctæ Synodi ordinationum , morum honestatem , clericalisque habitus decentiam respicientium , inducendo ; nec patiantur eos deferre habitus a sacris Canonibus vel prouincialibus Conciliis interdictos : sed faciant ipsos deferre vestes in colore & scissura honestatem clericalem decentes , nimia longitudine vel breuitate non notandas , circa pectus & scapulas , vt moris est laicis , non strictas , & corpori bene adiacentes ; sed bene amplas , & aliquantum plicatas , manicas decentes , usque ad contactum manus protensas , infra vero brachium